



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,  
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa  
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad  
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

**Suárez, Francisco**

**Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630**

12 De secundo genere relationu[m], in pote[n]tia, vel actione fundato.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94179](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94179)

fit in fundamento necessaria, ut ex parte sua sit apta tribuere hanc denominationem, dicemus commodius in sectione seq. Et hactenus de primo membro illius diuisionis.

SECTIO XII.

De secundo genere relationum in potentia vel actione fundato.

**C**irca secundum genus relationum multa attinguntur in quarta difficultate superius posita. De quibus relationibus in communi loquendo certum est, esse reales & predicamentales: ita enim sentit Doctores omnes, & ita exponunt Arist. Nam si inter aliqua extrema concurrunt omnia necessaria ad huiusmodi relationem, maxime inter hæc, ut ex dictis constare potest, & magis patebit ex dicendis. In particulari vero duo sunt, quæ hic habent difficultatem. Primum est, an omnes relationes quas Aristoteles gratia exempli numerat in illo genere, sint vere reales & predicamentales. Secundum est quodnam sit proprium fundamentum talium relationum.

An omnes relationes secundi generis sint reales.

**C**irca priorem partem difficilis sane est prima obiectio, quæ in quarta difficultate fit contra membrum illud de rationibus fundatis in futura actione quæ dicuntur esse inter id quod futurum est, & illud quod faciendum est: hæc enim sunt Aristotelis verba: obiectio tamen facta, ut existimo, concludit talē relationem non posse esse realem ex defectu termini, & proximæ conditionis requisitæ. Unde dicendum existimo, non omnia exempla, quæ Aristoteles ibi posuit esse in rigore de relationibus realibus & predicamentalis. Ipse enim non intendit illo loco tradere propriam & rigorosam coordinationem predicamenti ad aliquid, sed explicare omnes modos relationum, & ad cætera quadam capita eos reuocare siue sint propria relatiua realia, siue solum ea imitentur secundum nostrum loquendi modum. Et potest hoc confirmari, nam ibidem ait, ad hoc secundum genus pertinere, quadam relatiua, quæ dicuntur secundum priuationem potentia, ut impossibile, & similia: constat autem hæc non esse vera relatiua realia, cum priuatio potentia non sit reale fundamentum. Solum ergo ponuntur in hoc genere per quandam reductionem: idem ergo dicendum censeto de relationibus, quæ dicuntur fundari in actione futura.

At vero de relatione exorta ex præterita actione, quæ terminum actum existentem reliquit, aliter censendum est. Illa enim relatio realis est, & predicamentalis, duratque quamdiu effectus & causa actum existunt, ut habet communis sententia. Nam ibi interueniunt extrema realia, & apta ut inter sese habere possint realem ordinem (agimus enim nunc de causis creatis) & fuere iam in re posita omnia, quæ ad illum ordinem seu relationem necessaria sunt, ut patebit soluendo difficultatem propositam.

In qua in primis petitur quomodo relatio quæ habet possit fundari in actione præterita, quæ iam non est. Dicendum vero est, non fundari in illa ut in proprio fundamento, in quo insit, aut à quo habet suam entitatem, sed illam esse rationem fundandi talem relationem, vel, ut supra dicebamus, conditionem requisitam ut talis relatio resultet. Non est autem talis ut ab illa relatio pendear quasi in fieri & in esse, & ideo nihil mirum est quod transacta actione maneat relatio. Est autem illa conditio requisita, non solum quia per eam positus est terminus necessarius ad talem relationem quantum ad solam eius entitatem.

Tom. II. Metaphys.

absolutam: potuit enim poni in rerum natura per aliam actionem, quod non satis fuisset ut insurgeret dicta relatio. Est ergo necessaria, quia per illam influit causa in talem effectum: ex quo influxu manet ordinata ad illum effectum, & respectiue denominata à relatione insurgente, vel à suamet potentia seu virtute agendi, quatenus peculiariter influit in illum effectum.

De fundamento proximo si aternitatis.

**V**nde controuerti solet, in quo principio proxime insit, & cum quo identificetur talis relatio, an scilicet, in potentia proxima & accidentali, vel in principali & substantiali. Nam multi censent esse in principio proximo seu in potentia generandi, quod posset apparentibus argumentis fieri verisimile. Alii vero existimant, ipsummet principale principium & substantiale identificare sibi hanc relationem. Fortasse tamen verum est, ad vnumquodque principium sequi relationem illi accommodatam, quia est par ratio de utroque: nam relatio potentia absolute sumpta, & abstrahendo ab actu, utriusque in est, ergo etiam in utroque ut est sub actu suo aliqua relatio consequitur. Relationem autem propriam paternitatis existimo esse illam, quæ proxime inest ipsi substantiæ medio principio principali: nam in supposito genito, filiationis relatio sine dubio afficit immediate ipsam substantiam vel etiam ipsam suppositum, ut multi volunt, de quo late tractaui in 2. to. 3. par. Ergo, cum hæc relationes sibi proportionatæ respondeant, etiam relatio paternitatis proxime afficit substantiale principium eique identificatur. Item quia separato quolibet accidente realiter distincto, etiam per potentiam Dei si maneat substantiale suppositum quod genuit, & quod genitum est, durat relatio paternitatis, alioqui nulla superest ratio ad ponendam illam, nam ille homo vere ac propriissime dicitur pater: ergo signum est hanc relationem esse intime in ipsa substantia. Tandem est hoc maxime consentaneum modo denominationi eius, nam solum denominat ipsum suppositum principaliter operans.

Non manebit autem hæc relatio paternitatis mortuo filio, ut falso in illa quarta difficultate assumitur. Neque vere ac proprie dicitur pater esse ille, qui orbatus est filiis: sed fuisse, quod non solum in philosophico rigore verum est, sed etiam vulgari sermone obseruari videtur. Quapropter non est idem, esse patrem, quod genuisse, nam hæc est denominatio extrinseca ab actione præterita, & ideo durat, etiam si mortuum sit genitum: altera vero est denominatio relatiua, quæ includit coexistentiam extremorum.

An relatio agentis illi insit.

**A**tque hinc à fortiori constat (quod vltius in ea quarta difficultate tangitur) relationem actum aliter agentis seu generantis, esse etiam realem, nam si hoc verum est post actionem præteritam, cur non magis præterita & durante actione? Duo vero hic inquiri possunt. Vnum est an hæc relatio sit intrinsece inherens ipsi agenti, vel solum extrinsece denominans, sicut ipsa actio. Videtur enim hoc posterius sufficere ad relationem realem, & esse magis contentaneum denominationi talis relationis. Actio enim ipsa realis est, & realiter denominat agens, & in hac ipsa denominatione includitur transcendentalis quedam habitudo ad effectum, quia actio ut actio terminum respicit, sicut infra dicemus: ergo similiter poterit relatio esse realis, quamuis solum extrinsece, & media actione denominet ipsum agens, tanquam relatum ad terminum seu effectum suum.

Nihilominus dicendum est, propriam relationem, quæ per se refert causam agentem vel generantem ab eo instanti in quo actu generat, esse intrinsecam, & im-

V.

VI. Qui genuit, si priuatur filio, non remanet pater.

VII.

VIII.

Y y

& im-

& immediate inhaerentem illi. Primo quidem, quia si post actionem praeteritam manet in causa agente relatio intrinsece adhaerens, illi, multo magis talis relatio resultabit & inhaerebit, etiam durante ipsa actione. Deinde, quia, ut D. Tho. docet 2. cont. Gent. ca. 13. licet in aliis formis inueniantur extrinsecae denominationes, a relatione vero non inueniuntur aliquid denominari quasi exterius existente, sed inherente, ait D. Tho. unde subdit. Non enim denominatur aliquis pater, nisi a paternitate, quae ei inest. Cuius ratio esse videtur, quia quod extrinsece denominat, potius refertur ad ipsū quod denominat, quam refertur ipsum: atque ita actio potius refertur ad agens, quam ipsum referat, quamuis sit occasio vel conditio, ut in agente resultet relatio. Quare licet verum sit, actionem ipsam referri ad terminum, tamen non proprie refertur ipsum per suppositum agens: quia non denominat illud ut id in quo est, sed ut a quo est: atque ita solum dici potest quod manat ab agente cum respectu ad terminum: ille autem non est respectus ipsius agentis nisi remote, ut magis ex sequenti dubitatione patebit.

*Sine eadem relatio in agente, dum actio durat, & illa transacta.*

IX.

**R**ursus enim inquiri potest, an haec relatio agentis in actu, vel de praesenti sit eadem & specie & numero cum relatione agentis de praeterito, v.g. cum paternitate. Quidam enim putant esse diuersam, & videtur fauere Arist. dum ait, has relationes variari secundum tempora. Potestque fundari in diuerso modo denominandi, nam altero denominat ut actu agentem, altero vero ut illum qui egit. Quare videtur vna relatio solum durare quādiu durat actio, & ad definitionem eius alteram confurgere. Verius tamen existimo, in patre v.g. (& idem est in similibus) eandem numero esse relationem, quae in ipso tempore initii quo generat, confurgit & permanet, quamdiu talis pater cum filio durat. Ut enim Theologice argumentemur, quis dicat Beatissimam virginem in primo instanti, quo Christum concepit: habuisse vnam relationem matris, & immediate post amisisse illam & acquisiuisse aliam? Deinde, actio generandi est ratio vel conditio, qua posita resultat relatio paternitatis: interrogo ergo, an sit talis ratio vel conditio ut ab illa pendeat relatio paternitatis in fieri & conseruari, necne. Nam si non pendeat in conseruari: ergo transacta illa actione generandi manebit eadem paternitas, quia non est unde varietur: si autem pendeat: ergo transacta actione transibit cum illa dicta relatio, ergo non est unde resultet alia relatio. Quia cessatio actionis, cum sit priuatio quaedam, non est sufficiens ratio ut resultet noua relatio realis: neque actio praeterita potest esse ratio talis relationis nouae, quia illa actio, ut existens iam habuit suam relationem proportionatam, ut praeterita vero nihil addit nisi dictā priuationem. Melius ergo, & facilius dicitur illam relationem esse vnam & eandem, manere vero postea: quia non pendeat in conseruari ab ipsa actione, sed a fundamento & termino, quae in praecedenti puncto explicata sunt. Quocirca, paternitas ut sit, nec includit denominationem de praeterito, nec de praesenti, sed absolute refert ad eum qui habet esse ab illo, qui pater denominatur, abstrahendo ab hoc quod actio per quam habet esse, existat vel non existat: haec namque denominationes includentes hos temporales respectus, potius sunt ab ipsa actione ut praesente vel praeterita.

*De relatione agentis in potentia*

X.

**V**ltimo petitur in eadem quarta difficultate ut explicemus, qualis sit relatio agentis in potentia, de qua iam diximus, non posse esse realem & pra-

dicamentalem in ordine ad solum effectum possibilem ut sic, sed in ordine ad aliquam potentiam realem passiuam, & actu existentem, quia non potest habere alium terminum realem: hoc autem modo interueniunt omnia ad realem relationem necessaria. Dicit vero aliqui, hanc relationem non pertinere ad hoc secundum genus relationum, sed ad primum, quia non fundatur in actione, sed praecise in proportionem, quae est inter duas facultates, ut vna possit in altera agere & altera ab alia pati: quae proportio est quaedam unitas & ideo ad primam rationem fundandi pertinere videtur.

Haec vero sententia non est consentanea Aristoteli, qui in hoc secundo membro nunquam dixit, ad illud pertinere relationes in actiones fundatas, sed potius in principio capitis dixit. *Alia*, (scilicet dicuntur ad aliquid) ut calefactum ad calefactibile, scilicet ad calefactibile, & vno nomine actum ad passum: ubi nullam facit mentionem actionis & passionis, sed potentiarum tantum: postea vero utrumque coniunxit, dicens, *Actiua autem & passiva ex potentia actiua & passiva potentiarum, actionibus dicuntur*. Deinde, relatio quae est potentiae agentis ad patientem, non fundatur in unitate, quae ad fundamentum primum pertinet, sed in virtute ad agendum: illa enim unitas quae est ratio fundandi in priori modo, consistit in aliqua reali & formali convenientia inter ea quae similia vel eadem dicuntur: ut vero inter potentiam agentem & patientem non intercedit talis unitas & convenientia, nisi fortasse quatenus conueniunt in generica ratione potentiae, sub qua ratione non referuntur propria relatione potentiae agentis & patientis, sed relatione similitudinis quoad rationem genericam. Illa ergo proportio non est vera unitas: quod si per analogiam ita nominetur, est loge alterius rationis ab unitate, quae fundat primum modum relationum. Quapropter haec relatio non ad primum, sed ad secundum modum pertinet, differtque alia superius explicata, quia haec sequitur rationem potentiae praecise sumptam, illa vero quatenus est sub actu: unde haec terminatur ad potentiam passiuam ut sic, illa vero ad effectum.

Petitur vero ulterius, an haec relatio inueniatur in quacunque virtute actiua & passiva, siue sit propria potentiae de genere qualitatis, siue cuiuscunque alterius generis seu transcendentalis rationis. Et sane, de potentia praedicamentali per se primo ordinatis, ut vna agat in alia, vel altera patiatur ab altera, non est difficile ad intelligendum quod sint aptissimae ad fundandam relationem inter se, dummodo sint in re ipsa distinctae, quia hoc ipso quod existunt, sese mutuo respiciunt, ratione transcendentalis ordinis quae inter se habent, ratione (inquam) eius ut proximi fundamenti: Dixi autem dummodo in re sint distinctae: nam potentia quae simul actiua in seipsam, & passiva a seipsa, etiam si propria potentia ac praedicamentalis sit, & utramque rationem per se primo habeat ex institutione sua, non potest secundum illas habere relationem realem, ex defectu distinctionis, quae ad hanc relationem necessaria est. Unde neque illas rationes habet talis potentia per habitudines transcendentales eiusdem ad se ipsam, sed per quandam eminentem habitudinem ad suum actum, quem respicit sub utraque ratione. Quod si talis potentia, ut actiua, indiget alio principio ad agendum in se, ut intellectus indiget specie, secundum illud poterit referri realiter ad seipsam solum, in ratione actiui ad passiuum: non tamen ratione suae propriae & intrinsecae actiuitatis, propter rationem dictam de identitate. At vero ubi interuenit sufficiens distinctio, & alioqui est intrinseca & naturalis coordinatio potentialium non est dubium, quin concurrant omnia necessaria ad realem respectum praedicamentalem, si extrema coexistant.

Addendum vero ulterius est, relationem hanc non esse coarctandam ad hoc potentialium genus, sed in-

percedere inter omnes res creatas (nam de Deo infra dicam) quæ quæcunque ratione habent realem virtutem agendi & patiendi inter se. Hoc constat, tum ex generali locutione Aristotelis, tum ex exemplis eius, quæ alia etiam genera potentiarum comprehendunt tum etiam ex communi sententia interpretum, & Philosophorum. Tum denique, quia ut intercedat prædicamentalis relatio non semper necesse est supponi in fundamento transcendentalem relationem, ut in solutione tertiæ difficultatis dictum est. Satis ergo in proposito est, quod una virtus sit eiusdem ordinis cum alia potentia, & quod natura sua habeat vim agendi quod est habere veluti physicum quoddam dominium in illam, ut inde possit oriri, respectus prædicamentalis, seu relatiua denominationis.

Atque hinc tandem intelligitur, non debere in hoc secundo fundamento nomen potentia stricte sumi, ut distinguitur ab habitu, nam etiam habitus quatenus vim habet agendi suos actus, solet ab Aristotele sub nomine potentia actiua comprehendere, ut sæpe in superioribus notatum est, ut sic potest esse fundamentum relationis realis non quidem ad obiectum, nam hæc pertinet ad tertium modum, sed vel ad actum quem efficit, vel ad potentiam in quam efficere potest: quæ ratio ad hoc secundum genus pertinet, ut ex dictis à paritate rationis constat.

# SECTIO XI<sup>a</sup>.

## De tertio genere relationis in ratione mensurae fundato.

**S**uperest ut explicemus, quod in quinta difficultate petitur, quomodo scilicet relationes tertii generis dicantur fundari in ratione mensurae: ita enim fere omnes auctores loquuntur, & sumunt ex Aristotele in hoc loco.

## Difficultas circa Philosophi mentem proponitur.

**S**i tamen Aristoteles attente legatur, non videtur dicere has relationes fundari in ratione mensurae, sed inter alia exempla, quibus hunc modum explicat, unum esse mensurabile ad mensuram: verba enim eius sunt, *Alia ut mensurabile ad mensuram, & scibile ad scientiam, & sensibile ad sensum*: ubi nullum fundamentum harum relationum declarat, sed solum adhibitis illis tribus exemplis proponit hoc tertium relationis genus. Nec potest dici in illis primis verbis, *ut mensurabile ad mensuram*, explicare communem rationem harum relationum alia: vero esse exempla & species huius generis: hoc enim non potest accommodari contextui, tum quia Aristoteles non dixit ut scibile ad scientiam, sed tantum copulativè, *& scibile ad scientiam*: tum etiam, quia si hæc posterora verba adhibuisset in exemplum priorum, non debuisset dicere, *ut scibile ad scientiam*, sed potius *ut scientia ad scibile*: at vero non ita dixit, sed, quod attente considerandum est, eodem modo dicit referri mensurabile ad mensuram, & scibile ad scientiam, & sensibile ad sensum: at vero scibile non refertur ad scientiam, & mensurabile ad mensuram, nam eo modo, quo inter hæc ratio mensurae interuenire potest, potius scientia mensuratur, per scibile, quam è conuerso. Adde quod in hoc tertio genere nullam mentionem videtur facere Aristot. relationum scientia ad scibile, vel sensus ad sensibile, sed solum oppositarum relationum (ut sic dicam) scilicet, scibilis ad scientiam, & sensibilis ad sensum, quibus adiungit relationem mensurabilis ad mensuram tanquam eis simile: ergo non constituit communem rationem huius tertii generis in hoc quod fundetur in ratione men-

Tom. II. Metaphys.

surae, sed in aliqua alia ratione communi mensurabili, scibili & aliis huiusmodi.

Quæ omnia confirmari possunt ex modo, quo inferius Aristoteles declarat hoc tertium genus relationum, nullam enim aliam communem rationem eius ponit, nisi quia alia relatiua per relationes quas in se habent relatiua dicuntur hæc vero solum suscipiunt denominationem relatiuam, quia alia ab ipsa dicitur: repetitque eadem exempla scilicet, mensurabile, scibile intelligibile, quæuis solum vltimè declararet dicens. Nam & intelligibile significat, quod in eo versetur intellectus. Unde simpliciter interpretando hæc litteram Aristot. non videtur ipse in hoc tertio genere ponere nouam aliquam relationem realem, quæ intrinsece insit, & referat suum subiectum, sed solum denominationes quasdam relatiuas, sumptas ex relationibus existentibus in oppositis extremis. Quocirca, cum sententia ad scibile, & scibile ad scientiam relatiue dicantur, ad hunc tertium modum relationum, iuxta mentem Arist. sic expolitam, solum pertinet relatio, vel denominatio ipsius scibilis qualiscunque illa sit: relatio autem scientia ad scibile non videtur ab Aristotele collocari in hoc tertio genere, quia scientia non dicitur relatiue, eo quod aliud referatur ad ipsam, sed quia ipsa in se fere habet respectum ad aliud Aristot. autem solum ponit in tertio modo ea, quæ dicuntur relatiua, quia alia referuntur ad ipsa.

Quod si inquiras iuxta hanc expositionem, ad quod genus relationis pertineat ipsa relatio scientia ad scibile, & sensus ad sensibile, &c. Responderi poterit, illam esse relationem cuiusdam effectus ad suam causam in aliquo genere, & ita reduci ad secundum genus, ut statim in simili dicemus, soluendo sextam difficultatem. Vel si cui placuerit omnem relationem in proportionem fundatam ad primum modum reuocare, dicere poterit ad illum pertinere relationem scientia: constitit enim in quadam coaptatione & proportionem de ad obiectum suum.

Sed adhuc potest obici, nam iuxta hanc interpretationem relatio inter mensuram, & mensurabile erit intrinseca & realis in mensura in mensurabili autem solum erit rationis, aut per denominationem ad ipsam mensuram, quod est contra communem sententiam, & contra rationem, nam id quod mensuratur est inferius, & sic potius ipsum ordinatur ad mensuram, quam è conuerso. Quod etiam patet inductione, nam scientia mensuratur a scibili, & ideo in ipsa est relatio & cognitio mensuratur in veritate, ab obiecto, & creatura in suo esse seu veritate essendi ab idea diuina, & omnes hæc relationes sunt in ipsi mensuratis. Repondeo, Aristotelem idem iudicium ferre de mensurabili ac de scibili, & intelligibili, & de omnibus ait, dicit ad aliquid, *quia aliud ad ipsa dicitur*. Videtur autem loqui Aristot. de mensurabili, per extrinsecam & superadditam mensuram non per intrinsecam coaptationem vel proportionem, qualis inuenitur in exemplis, quæ in contrarium afferuntur: illa n. intrinseca comensuratio non constitit nisi in quadam similitudine vel coaptatione (ut sic dicam) vel in dependentia aut specificatione, & sic reducit ad primum vel secundum modum relationum. Sicut etiam imago est comensurata exemplari ratione similitudinis & effectus causa dependentia, vel etiam similitudinis. At vero extrinsece dicitur res mensurabilis, sicut & cognoscibilis, vel visibilis, quia per applicationem extrinsecæ mensurae potest eius quantitas manifestari. Et hoc modo ait Aristoteles rem dici mensurabilem per relationem alterius ad ipsam, quia nimirum per mensuram potest eius quantitas notificari.

Nec refert, quod mensura sit quasi naturalis, vel ex institutione humana. Quia utroque modo res non est mensurabilis formaliter, nisi per extrinsecam potentiam & denominationem, quamuis fundamentum

Yy 2 vel

III.

IV.

V.

VI.